

Universitätsbibliothek Wuppertal

Omnia Divini Platonis Opera

Plato

Venetiis, M.D.LVI

Dialogus duodecimus de legibus, vel, de legumlatione

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-254](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-254)

DIALOGVS DVO-
DECIMVS DE LEGIBVS,
VEL, DE LEGVM-
LATIONE.

MARSILII FICINI
ARGVMENT.



DLATO diuinus in omnibus legum dialogis, diuini operis similitudine, ideoq; numero duo denario delectatus, nimirum duodecim dia logum ita comunem legum arcam esse voluit, quemadmodum duodecim mundi circulus commne stellarum est firmamentum. Et que admodum si quis circulum duodecim pene trauerit, perfectionem felicitatemq; anime statim inueniet, imò et consequetur: sic Plato ultra librum duodecim progressurus, non tam leges quam beatam anime perfectionem legibus acquisitam in Epinomide demonstrabit. In superioribus quidem libris leges partim ad officia publica, partim ad priuata negocia pertinent, partim ad urbana partim ad externa, siue in pace siue in bello. In duodecimo uero, oēs quodammodo congregantur ad oia pertinentes, non leges in qua singula, sed nonnulla ex quolibet genere singulari. Additur legibus id quod maximum est, ratio uidelicet et conseruatix legum et emendatrix. Additur magistratibus id quoq; quid maximum: ratio uidelicet repetundarum referendarumq; rationum, non aliter publicis magistratum officijs preposita, quam priuatis actionibus animorum, conscientie ipsius examen. Hoc utique examine in priuato omnis animorum salus, tum publico ciuitatis salus uniuersa consistit. Atque i. compendiarium duodecimi argumentum. At quonia mox in principio, et in sequentibus, et sepe in antecedentibus deorum comemorat filios, atque tum deos alios aliorum, tum homines deorum filios nuncupat, meminisse oportet duobus modis apud Platonem deos deorum filios esse, duobus quoq; modis homines filios esse deorum. Primo quidem, ut Timæus docet, omnes spherarum mundi retores, siue ipsi spherarum animi, siue demones citra spheras, siue intellectus angelici ultra spheras, filij sunt omnipotentis Dei, tamquam uoluntate ipsius benefica procreati. Deinde in quolibet horum trium genere, inferiores superiorum filij ideo nuncupantur, quia a superioribus continuè radios formasq; suscipientes, quodammodo inde formantur, et illis quasi patribus obsecundare uidentur. Homines similiter geniti dicuntur a superioribus, uel quoniam ab initio rerum è terra uisceribus superiorum fomento in lucem editi fuerint, uel quoniam nonnulli quotidie superiorum inspiratione uehementer afflati, mox ex humana solitaq; affectione, in diuinum quendam uitæ statum quasi renati diuinitus transferuntur. Quo quidem in gradu et pios philosophos, et philosophicos principes sepe numero collocat. Quod aut statim in principio libri Iouem Mercuriumq; legatis nuncijsq; preponit, intelligendum est primo quidem, et per Iouem, Deum architectum mundi, et per Mercurium, omnium numerum angelorum: deinde per Iouem rursus planetam secundum imperatorum legumq; significatorem, per Mercurium uero planetam alium interpretationis expeditionisq; omnis significatorem. Significatores dico planetas. Quoniam ut testatur Timæus, et Plotinus disputat, planetæ celestiaq; omnia significant utcumque possunt et nunciant: que uel superi iamiam facturi sint: uel nos interdum quide facturi, sepe uero passuri. Detestatur mox poetas, qui scelera hominum transferentes in superos, et contra diuinitatem impie deliquerunt, et malo superiorum exemplo hominibus grauius nocuerunt. Præterea furta ceteraq; facinora, ex intentione peccantis et habitu uel sanabili, uel insanabili, magis quam ab affectu putat esse censenda. Præcipit inter militiæ leges: quod et in omni uita optimi omnium arbitratur: ut nemo cognoscat quid sit sibi tantum uiuere uel seorsum ab alijs quicquam agere: sed ad prudētis superiorisq; nutum, et ad comunem usum singuli singulas dirigant actiones. Docet iudices ne uel sponte, uel etiam coacti præter ius sententiam ferant. Iudicium. n. ipsum ex antiquorum sententia, præcipue Orphei et Hesiodi, esse uirginem quandam pudicam. Pudori aut atq; iudicio in primis odio esse mendaciū. Deam uero iudicij præsidem, diuinā esse existimant prouidentia, humanis iudicijs uenerandam. Post hæc ubi dānat eos qui arma turpiter proiecerūt, et illos insuper belli duces, qui eos sub signis suis iterū militaturos recipiunt denarium minarū numerum hic à nobis translatum, leges alicubi militariū. Paulo post reip. nodum esse asserit repetundarum iudicium rationum: ut nullus in rep. iudex sit absq; iudice. Alioquin per soluta

iudicandi licentiam, primo quidem iustitiam perituram: deinde ciuitatem amissa iustitia uelut anima morituram. Templum uero Solis atque Apollinis, intelligit eadem non solum planeta animæq; solari: sed multo magis summi boni luci, cuius imago sol est, dedicata. Audies ex absentia religionis in iudicij peccata comitti. Sed impiorum omnium pessimos esse, qui precibus hostijsq; ita Deum placaturos se confidunt, ut ob hanc confidentia impune sibi liceat grandem pecuniam extorquere. Tradit cautissimas post hæc leges de peregrinis excipiendis: peregrinationeq; ciuium: ne uel mores ciuium aliena et inconsiderata consuetudine confundantur: uel alienorū peritia reip. desit. Notabis hic paucis quoq; nonnullis diuinam quandam uim in esse: per quam discernant capis ingeniorum. Quod quidem ostendit diuinitatem quandam non solum à nobis acquiri: sed ut ita loquar, innasci. Præcipit non esse parui faciendum, utrum probus an improbus uidearis. Sed existimationem quoq; uirtutis querendā esse: et ipsa duntaxat uirtute querendam. Comemorat diuinos non nunquam uiros uel in ipsa plebe et in ciuitatibus male gubernatis existere. Post hæc de actione causarum, accusatione, defensione, appellatione, fideiussione, proscriptio, ceterisq; huiusmodi tractat multa. Miscet et his sua quadam opportunitate que donaria uel simulacra dicanda nimirum. Quæ quidem symbolica Pythagoreo ritu tradita est. Terram inquit, et Vestam deorum omnium habitationem sacrā existere. Quod Vestam adiunxit, significauit sub terra et huius nomine alius intelligi debere, et terram hanc elementalem, et terram lunarem, et terram postremo stellarum. Item tres terrarum trium animas, tresq; angelos. Memento uero, apud antiquos quicquid in uniuerso est efficax ad formandum atque mouendum, metaphoricè ignem dici. Item quicquid usquam facillimè est formabile, dici aerem. Quod aut purgatorium, aquam: quod solidū uel stabile et consistens, terram cognominari. Talis quidem natura ob qualitatem uel densam, uel consistentem, et hic et in luna et in firmamento terra à Platonis nuncupatur. Cui ergo mirū sit Terram deorum omnium habitationem sacrā existere: si triuere terrarū trium terminis comprehenditur uniuersum? Cumq; sacrata ab initio dijs esse dixerit, uetat iterum consecrari: admonet, ne confidas Deo quicquam quod non prius ipsius dei sit, offerre te posse. Ex auro quoque uel argento statuas fieri uetat: ne confidamus magno horū precio nos grandia scelera purgatos. Ex ebore rursus prohibet, cum ab anima scilicet sensuali fuerit destitutum: ne absque sensu. i. uigilantia et animaduersione operemur in sacris. Aes etiā et ferrum respuit, culpans uidelicet bellica instrumenta. Animo. n. intra se et alijs disidente frustra sacrificia operamur. Recipit deniq; lignum atque lapidem, ex quibus deorum simulacra fiunt. In lapide quidem comedans habitatem mentis in sacris. In ligno uero ignis escam. i. flagrantiam animi, qui in diuinis sacris accendatur. Iubet ex uino siue lapide siue ligno imagines integras fabricari, simplicitate in primis integritatemq; comedans. Neq; uero silentio prætermittendum est, legatos in superioribus ad quatuor oracula missos fuisse: ut cognosceremus deum omnium autorem, omnibus æque mundi partibus prouidere: que per quatuor quasi angulos designantur orientis, occidentis, septentrionis, meridicq; nomine: et quocumque ritu colatur deus, modo pura mente gratiaq; sui colatur, acceptum quodammodo esse deo. Sed de his alibi diligentius. Inter hæc, uetat illos qui patriæ aliqua in re ministrant, accipere munera. Agit et de tributis. At nihil melius à quoquam disci posse, quam id quo ipse fiat melior. At legem esse rem mirandam atque diuinam: nomenq; ab ipsa mente apud Græcos habere: à mente inquam tū diuina, uelut patre: tum humana, uelut matre. Legem uero sequi uult iudicium. Quæ quidem duo humanorum bonorum maxima sint. Sed hic redit in mentem, quod in fine uidecimi, bona inquit nostra plerunq; à quibusdam suis calamitatibus inquina ri. Et legis quidem calamitatem alibi esse inquit magistratus ipsius improbitatem. Calamitatem uero iudicij iudicialisq; disceptationis ibi appellauit peritiam quandā causidicam: que nulla iuris habitatio, sed auaritiæ ambitionisq; studio omnem absq; delectu causam accipit defendendam. Quam ueluti reipub. pestem præ ceteris detestatur. Post hæc ubi funeribus imponit leges, hominem ipsum præcipue uult substantiam ipsam anime ronalis haberi: corpus autem hominis huius simulacrum, et ut alibi nominat, umbra. Quisnam homo in nobis sit, quid animal, ex Timæo, et Alcibiade, et Ploti no cognoscitur: quod quid in Theologia latine disputamus. Vbi concludit hominem quidem esse anime ronalis substantiam, ultra rationem, habentem quoque sensum quandam intimum, impatiibilem, et comunem. Animal uero compositum quiddam ex figurato corpore, atque ex quodam uita uestigio impresso ab anima. In quo quidem uestigio impressus quoque sit sensus, secundum à sensu primo, iam per instrumenta varia distributus atque patibilis. Id quidem nonnulli

lis quoque; apostoli Pauli dictis maxime consonare videtur. Quando vero animam inquit ad alios deos abire, rationem suorum operum reddi turam, alios deos nominat, mentes angelicas extra corpora, qui alij dicuntur dii ultra sphaerarum animas. Anima siquidem nostrae his conuncta corporibus, nimirum sub animarum superiorum regno ponuntur, separatae uero ad separatorum iudicium transferuntur. Haec tenus quidem leges condidit: sed frustra constitui leges ait, nisi de legum salute stabilitateque cogitetur. Ergo ad harum stabilitatem cetum quendam magistratum mirabilem excogitabit. Sed autem ceterus eiusmodi creationem, de vi satorum nonnihil attingit, utpote qui intelligat ad operis tanti salutem humanam hominum prudentiam non sufficere, si vii fatalis penitus aduersetur. In his profecto uidetur probare eos, qui in aedificandis urbibus, condendis legibus, creandis magistratibus, imò & plantandis hominibus aduersam nimis syderum dispositionem diligenter euitant. De fato quidem alibi multa: quibus & hic consentanea haec quam opportune, tam breuiter adducuntur. Fatum est immobilis quaedam in anima mundi rerum mobilium dispositio. Fati uero instrumentum est natura caelestis. Sed materia in quam agit per instrumentum, & moles elementorum. Tria uero nomina, Lachesim, Clotho, Atropon: tum quantum ad instrumentum, tum quantum ad materiam pertinet, accipit. Nam Lachesim nominare possumus firmamentum: in cuius stellarum vires sortesque inferiorum omnium continentur. Clotho uero planetarum catum in euoluendis rerum sortibus firmamento subministrat. Atropon denique Saturnum praecipue, stabilitate sua euolutas in effectum sortes inuitaliter confirmantem. In materia quoque fati ideo tres Parcas connumeramus, quoniam uis fatalis per instrumentum caeleste elementis infusa, agit in materiam & formam atque compositum. Item in essentiam & virtutem & actionem. Item in principium mediumque & finem. Quoniam uero non solum agit in corpora, uerum etiam in animos, quatenus afficiuntur corporibus, uel utuntur: idcirco Plato hic ait, Parcas tum corporum, tum animorum legumque prosperitatem posse seruare. Et quoniam mens natura sua utpote mentis diuinae providentia quandoque freta, uel fatum superat, uel fato feliciter utitur: subiunxit ad ipsam uitae tam publicae quam priuatae salutem, coniungendum esse cum mente sensum, adeo ut sensus menti pareat & ministret. Similemque huic copulae quae ex mente & visu audituque componitur, procreat cetum quendam magistratum in re publica stabilitati legum prospicietem, qui finem ipsum primo prospiciat rei publicae, deinde quae uis potissimum perducat ad finem: studeatque omnino, ut singula in ciuitate siue priuata siue publice fiant, una quadam ratione conducant ad unum: cuncta quidem ad uirtutem dirigens, uirtutes uero ceteras ad prudentiam. Hanc denique ad sapientiam: quam sub nomine mentis saepe significat. Cuius quidem ratione una, uirtutes omnes comprobantur & censentur: quatenus uidelicet conducunt ad sapientiam, quam etiam ea ratione probat, quod unius diuini boni sit particeps. Afferit exquisitissimam rerum considerationem esse, quae non solum multa, quatenus multa sunt, conspiciat: sed etiam quae sit in cunctis natura una communis. Item a quo uno principio hanc habuerint. Rursus ad quem finem unum per hanc conducere possint. Absque eiusmodi contemplatione, neminem posse vitam perfecte uel priuatam, uel publicam gubernare. Cum uero haec speculatio ad philosophum, praesertim diuinum pertineat, non iniuria inter ceteros in cetero illo electissimo congregatos, ad diuinos philosophos rerum summam iudicat referendam. Diuinos inquam rerum diuinarum inspectores atque cultores. Itaque eos qui ad diuina uel inspicenda sunt hebetes, uel colenda sunt pigri, uel docenda inepti: ab amplissimis reipublicae muneribus procul arceat. Mox uero probat ad firmam summam diuinitatis fidem duo esse potissimum necessaria. Primum, ut sciamus genus ipsum rationalium animorum, diuinum esse, corporibusque antiquis, quo moueatur mundi sphaera: & intra sphaeras omnia generentur. Secundum, ut cogitemus genus mentium scilicet angelicarum, animorum genere esse praestantius. Et animas ob ipsam mentis participationem sphaeras ordinate mouere. Siquis n. duo haec nouerit, facile cognoscat, sicut mens aeterna forma ordoque est, ita diuinum bonum esse tum mentis, tum animae uitam atque lumen. Haec uero tria, scilicet diuinum bonum mentemque & animam. Plato procul dubio pene in omnibus eius scriptis aut demonstrat aut innuit omnium esse principia. Quod quidem in epistola ad Dionysium obscurioribus uerbis inuoluit. Anima uero nostram corpore antiquiore esse, si non placet tempore antiquiorem dicere, dic saltem dignitate praestantior: atque ex eo prior, quod a principio corporibus superiori habet originem: ideoque motum in anima ex se locauit, in corpore uero ab aeterna. Et quia crescit in corpore mutabilitas, ait à mutabili aeterna, corpus non aeternum tantum, sed etiam substantia mutabili dependere. Reprehendit & Anaxagoram, quod cum inter mentem & corpora non posuerit animam,

compulsu: fuerit naturales effectus non ab intelligentia per animam, ut pars est, dissoni: sed elementaliter potius natura contingere. Afferit uero hic quemadmodum in Timaeo atque Phaedone, omnia siue per mentes angelicas, siue per animas, siue per corpora fieri dicantur, praecipue uoluntates diuinae boni gratia fieri.



SI LEGATVS aut praeco falso qua sibi commissa sunt nunciauerit, dicenda uel tacuerit, uel rursus ab hostibus amici siue rediens qua ab illis accepit, aliter quam acceperit retulisse reperiatur, quasi Mercurij Iouisque mandata legationesque contra legem contempserit, in iudicium deferatur. Et iudices pro magnitudine rei quid pati dare uel ipsum oporteat, si damnatus fuerit, statuunt. Pecuniae furtum illiberale profecto est: rapina uero turpissimum. Nullus autem filiorum Iouis aut Vi aut dolo delectatus quicquam homini unquam fecit. Ideo nemo uel à poetis uel à fabulosis alijs hominibus ita decipiatur, ut credat si furto aut Vi usus sit, nihil se turpe, sed quod dii quoque fecerint, commisisse. Nam nec uerum id, nec uerisimile est. Et qui praeter legem horum alterum facit, is nec deus, nec deorum est filius. Haec legumlatori magis quam cunctis poetis cognoscenda sunt. Igitur quicumque huic nostro sermone paruerit, felix est, et in posterum semper erit. Qui contra fecerit: hac lege arcebitur. Siquis aliquid publicum furatus fuerit, siue paruum seu magnum id sit, pari supplicio puniatur. Nam qui rem paruum sustulit, et si minori Vi quam qui magnam rapuit, aequa tamen cupiditate furatus est. Et qui magnam aliquid inde remouit, ubi ipse non deposuerat, is omnino iniquus est. Lex igitur non furum paruitate alterum minus quam alterum puniendum censet, sed eo forsitan interesse putat, quod alter sit insanabilis, sanabilis alter. Si seruus aut peregrinus furum publicum accusatus et condemnatus sit, tanquam sanari quodammodo posse uideatur, quid pati dare uel debeat iudicio statuatur. Ciues autem ita educatum ut ipsi institutum, si quis publicum aliquid furatum esse uel uolasse conuicerit, siue in ipso furto & scelere siue aliter quomodocumque deprehenderit, tanquam insanabilem mortis supplicio condemnamus. Militiae gratia merito magna habentur deliberationes, & leges multae conduntur. Sed illud omnium maximum est, ne quis mas feminae sine magistro ac principe quicquam agat, nec cuius cuiusquam animus siue loco siue seruo aliquid facere solus & suo duntaxat arbitratu consuescat: sed tam in bello quam in pace ad principem magistratumque semper respiciat, & eum quocumque sequatur: atque ita ad eius nutum suam uitam instituat, ut uel minima quae ab eo gubernatus faciat: stet cum iubetur, & rursus iussus proficiscatur, exerceatur, laetetur, comedat, surgat nocte, custodiae agat: det signa, & uicissim accipiat, et in ipso proelio nec insequatur unquam, nec cedat, nisi princeps et magister significauerint. Et ut summam dicam, nemo penitus cognoscat, quid sit seorsum ab alijs agere: sed simul semper communisque quam maxime omnibus uita sit. Nihil n. hac re melius, nihil praestantius, nihil artificiosius unquam erit ad salutem et uictoriam bello acquirendam. Hoc ipsum est in pace ab ipsa pueritia seruent assuescantque alios ducere, & ab alijs duci. Soluta uero licentia uita penitus expellatur, non hominum solum, sed etiam bestiarum

stiarum quæ sub hominibus sunt. Omnes quoque choreæ ita ut bene geratur bellum, celebranda sunt: atque omnes dexteritas, facilitas, promptitudo eiusdem rei causa comparanda. Ob eandem causam consuescere debemus à cibo et potu abstinere, frigus æsumque et cubilis duritiem pati: et in primis capitis pedumque virtutem alienis tegmentis non corrumpere: nec pileorum calceorumque à generatione datorum naturam perdere. Nam extremitates hæc cum naturam conseruant suam, maximas toti corpori vires præbent: contra vero contrarium. Et altera quidem vniuerso corpori maxime ministrat: altera totum ducit cum principales eius sensus omnes natura possideat. Sed huiusmodi quidem laudes bellicose vitæ iuvenes audiant, Leges vero hæc, Militet quicumque, conscriptus est, aut parti alicui deputatus. Siquis vero propter ignauiam imperatore non permittente militare detrectet, ad principes belli cum redierit, accusetur. Iudicent autem qui militauerunt omnes, seorsum quidem pedites, et equites seorsum, ceterique similiter. Pedites quippe ad pedites, et equites similiter ad equites, ceterique singuli ad eiusdem sortis principes deferendi sunt. Vbi quicumque damnatus fuerit, et in certamen postea quodcumque descendere, et alium neglecta militia accusare prohibeatur. Præterea quid dare patine ipsum oportet, iudices statuunt. Sed desertæ militiæ iudicio peractæ, peditum rursus equitumque et aliorum cætus à principibus habeantur, ut militaria his qui strenuè se gesserunt, dona dentur. Iudicet autem de victoria quisquis velit inter ordinis sui participes, ita ut præteritorum certaminum nec coniecturas neque testes adhibeat: sed eam quæ nuper gesta est pugnam duntaxat consideret. Donentur deinde qui præclare certasse videbuntur, corona ex frondibus arboris perpetuo virentis conferta. Quam postea qui consecuti sunt in bellicosorum templis deorum vicumque placuerit cum inscriptione titulum suspendant, ut testimonium virtutis sit diuturnum. Secundo quoque ac tertio loco declarati sic faciant. Siquis autem in militiam profectus, antequam principes dimiserint, ab exercitu abierit, apud eosdem iudices hic derelicti ordinis accusetur, apud quos et ille superior neglecta militia accusatus est: et damnatus similiter puniatur. Cauere autem pro viribus debet quisquis aliquem iudicaturus est, ne sponte aut inuitus supplicium mulctamue falso et non merito inferat: iudicium enim virgo quadam pudica esse vere dicitur. Pudori autem atque iudicio secundum naturam odio mendacium est. Quamobrem cum in alijs omnibus, tum maxime in bellicorum armorum proiectione cauendum est, ne deam iudicij præsidem offendamus: ne quis necessarias armorum abiectiones quasi turpes per ignorantiam arbitratus, aliquem pœna indignum immerito puniat. Arduum quidem est hæc distinguere. Oportet tamen ut lex distinguere per singulas partes conetur. Fabula igitur ad hæc utatur. Si absque armis semimortuus ad tentoria Patroclus fuisset delatus, quod pluribus accidit: et arma quæ à dijs, ut poeta dicit, in dotem Thetidi data fuerant, ab Hectore rapta fuissent: Virum Menœtiades quasi arma abiecerit, à detractoribus vituperandus fuerit. Præterea si qui ab alto præcipitauerunt, aut in mari, aut in tempestatibus aquarumque colluione, aut in alijs huiusmodi permultis, quæ ad purgandam ignauia suspicionem afferri possunt, coacti ar-

ma amiserint, eruntne vituperandi? Danda vero opera est, ut maius grauiusque malum pro viribus à contrario secernamus. In ipsa igitur vituperatione, vocabulorum ipsorum prolatio differentiam quandam ostendit. Nam sicuti abiector non de omnibus merito dicitur: armorum vero amissor de omnibus: nec similiter qui vi amisit, et qui sponte abiecit, sicuti abiector, est iudicandus. Omnino enim vndique differunt. Sic igitur sanciamus. Siquis ab hostibus circumuentus cum armatus esset: non defendit se versus ad eos, sed arma sponte dimisit, aut abiecit: turpemque vitam velocitate comparare sibi maluit, quam fortitudine honestam felicemque mortem, de huiusmodi armorum proiectione iudicium habeatur, de superiori vero nullum. Mali enim ignauique semper puniendi sunt, ut meliores fortioresque euadant. Infortunati vero, minime. Nihil enim proficitur. Sed quæ nam abiectionis armorum damnatio et à virili fortitudine degeneranti pœna congrua erit? præsertim cum impossibile sit huiusmodi in contrarium commutari, ut Ceneum Thessalum ferunt diuina quadam vi in naturam viri ex femina commutatum. Abiectori enim armorum contrarium maxime conueniret, ut in mulierem ex viro translatus sic puniatur. Nunc vero quoniam id fieri non potest, proximum aliquid excogitemus, ut postquam ille usque ad eum viuendi cupidus est, deinceps nullum periculum subeat, sed reliquam vitam et quidem quam longissimam improbus et cum dedecore viuat. Hæc igitur lex sit, Eo qui arma turpiter proiecit damnatus est, nec imperator neque præfectus aliquis pro milite vnquam utatur, nec in aciem recipiat. Si contra fecerit, rationum referendarum index id cognoscat: et si maximi census sit, decem minis: si secundus, quinque: si tertius, tribus: si quartus, vna ipsum condemnet. Proiectionis autem damnatus non solum ob naturam eius ignauiam à virilibus periculis arceatur, sed etiam si maximi census est, decem similiter mulctetur minis: si secundus, quinque: tribus, si tertius: vna vero, si quartus. De repetendis autem rationibus quas magistratus annui sorte creati, vel plurimum etiam annorum consilio quodam delecti referre debent, quid dicemus? Quis enim sufficiens repetundarum index erit, si quis magistratus rerum pondere pressus, dixerit feceritue suo aliquid indignum principatu? Difficile inuentu hoc est. Nam cum delecti magistratus virtute alios antecellant, quo pacto præstantiorem eis inueniemus? Et tamen diuini aliqui viri rationum referendarum exactores et iudices nobis querendi sunt. Sic enim se res habet. Multæ occasiones soluendæ reipub. quemadmodum nauis aut animalis cuiusdam esse videntur. Quarum licet vna natura sit vbi que diffusa, eas tamen intentiones, fulcimentaque, et nervorum extensiones multisque alijs nominibus appellamus. Sed hæc tam salutis quam emerisionis Reipub. occasio non minima est. Nam si iudices qui gesti magistratus rationem exigunt, virtute magistratibus præsent, atque ita id fiat, ut nemo iure conqueri possit, vniuersa sic regio feliciter ciuitasque florebit. Sin aliter iudicium repetundarum processerit, tunc eo iudicio soluto, quo in vnum ciuilia omnia vincuntur, omnes magistratus, alius ab alio distrahuntur: ipsique ex vno multi iam facti, ex vna multiplicem ciuitatem efficiunt. hinc plena seditione citò ora evertuntur. Quare exactores rationum oportet in omni

Repetunda
rum.

Virtutum

Virtutum genere cunctis excellere. Hoc igitur modo ipso rum generationem machinemur. Singulis annis post æstiuale solstitium ad locum Soli atq; Apollini cõmuniter dedicatum ciuitas vniuersa conueniat, tres viros electuri, quem vnusquisq; meliorem se solo excepto iudicet: qui non pauciores quàm quinquaginta natus sit annos. Electorum deinde dimidiam partem, qui à pluribus prælati fuerint, si pares sunt anteponant: sin verò impares sint, vno excepto cui pauciora suffragia contigerunt, dimidiã similiter reliquorum partem accipiant, suffragiorum numero præiudicantes. Quod si equalia numero suffragia multis fuerint, dimidiumq; numerum auxerint, iunior postponatur. Acceptisq; alijs rursum ferantur suffragia, quousq; tres inæquales obtineant. At si omnibus his vel duobus equalia suffragia sint, bonæ iam fortuna res committatur: sorte hi discernantur. Eum qui suffragijs superat, rursumq; secundo loco & tertio declaratum, corona ex semper virentis arboris fronde contexta coronet. Datæ præmijs præconio declarent, quemadmodum Magnæstorum ciuitas rursus deo duce nacta salutem, ciues eius tres omnium optimos, Soli & Apollini cõmunes primitias prisca lege quatenus iudicium secuturi sunt consecrat. Qui primo anno duodecim repetundarum rationũ examinatores constituant. Idq; faciant donec singulis septuagesimus quintus annus exactus sit, deinde singulis annis tres semper addantur. Hi magistratus omnes in partes duodecim distributos omni libera examinatione iudicaturi, diligenter obseruent. Habitent aut tempore quo rationes ipsis redduntur, in loco vbi electi fuerunt, Soli atq; Apollini dedicato. Et tum per se solum quilibet, tũ cõmuniter omnibus diligenter perquisitis, de singulis magistratibus publicè perscribant, quid pati eos daræue ex repetundarum iudicium sententia deceat. Ac si quis magistratus horum iudicio non rectè damnatum esse se q̄ritur, ad electum iudicium repetundarum iudices deferat. & si euaserit, accuset eos si velit. sin autem ibi quoz damnetur, atq; antea ab ipsis repetundarum iudicibus morte fuerit condemnatus, quemadmodum necessitas exigit moriatur. Quod si ea multa ab illis damnatus fuerit, q̄ dupla ab ipso persolui potest, duplam persoluat. Sed iam audiendum est, quæ horum de repetundis sententia, & quomodo ferenda sint. His igitur qui totius ciuitatis consensu omnibus præpositi sunt, donec vixerint primi confessus semper in omnibus solennitatibus præbeantur. Et quandocunq; ad cõmunia Græcorũ spectacula sacrificiaq; mitti iudices ac præfides aliquos à ciuitate necesse est, ex istis mittantur. Hi soli in ciuitate, corona laurea coronentur, hi Solis & Apollinis sacerdotes sint. Pontifex etiam summus singulis annis ex his ille sit, qui superiori anno ceteris excelluisse sacerdotibus iudicabitur. horum nominibus quousq; ciuitas habitatur tempora distinguantur. Defunctis autem funera & sepulchra excellentius quàm ceteris ciuibus fiant. Indumenta quilibet alba sint. luctus ploratusq; abfit. Chori quoque duo, vnus puellarum quindecim, alter totidem puerorum, se retro vndiq; circumdato vicissim sacerdotem carminibus laudent, felicitatemq; eius per totam diem decantent. Mane verò ad monumentum feretrum iuniores ferant qui gymnasijs operam impendunt, quos defuncti hominis propinquiores delegerint. primiq; cælibes quasi ad pu-

gnam armati præcedant, cum equis equites, & cum leuibus armis pedites, ceteriq; similiter. Pueri verò antè feretrum, patrium cantum concinant, & puellæ post eos, ac mulieres iam effectæ sequantur. Postremò vtriusq; generis antistites quamuis alijs monumentis arceantur, tamen si Pythius quoque confirmauerit, ad hoc sepulchrum quasi purum quiddam sit, nil prohibet deuenire. Monumentum huic sub terra sit fornix quadam longior ex durissimis pulchrisq; lapidibus, vbi lapidei lectuli vtrinque sint, hic beatum illum sepeliant, arboresq; in circuitu plantent, vna excepta solummodò parte, vt hoc sepulchrum augeri possit. deinde singulis annis musico, gymnico, equestriq; certamine hos viros honorent. Hæc præmia illis reddantur, quorum de relatis rationibus iudicia damnata non sunt. Siquis autem horum iudicio cõfidens quo prælatus fuit, naturæ humanæ fragilem conditionem detexerit, lapsus videlicet in errorem postquam egregius habitus est, sanciatu lege, vt à volente quolibet accusetur. Iudiciumq; de ipso sic agatur. Primo legũ custodes adsint, deinde accusati ipsius collegæ, electi præterea iudicij iudices. Adducat autem accusator, indignum esse illum qui accusatur, & magistratu & magistratus præmijs. Si ergò damnatur, magistratu, sepulchro, ceterisq; illi magistratui competentibus præmijs priuetur. Sin verò accusator quintam suffragiorum partem non habuerit, qui primi census est xli. qui secundi, octo: qui tertij, sex: qui quarti, duas minas persoluat. Magna autem in iudicando admiratione dignum fuisse Rhadamantum video: Ille siquidem perspiciebat, in illis temporibus deos esse, omnes vno ore homines confiteri. neq; id iniuria, cum multi illis temporibus ex dijs progeniti essent, quorum in numero ipse etiã habebatur. Itaq; videtur putasse dijs non hominibus esse iudicia committenda. Quocirca simpliciter velociterq; iudicia peragebat. Nam iureiurando in singulis causis à litigantibus requisito, citò simul ac tutò iudicare solebat. Nunc verò alij deos esse negant, alij res humanas curare non putant, plurimi verò & pessimi vilibus hostijs multisq; blanditijs ita conciliari sibi eos existimant, vt impunè liceat grandè pecuniam extorquere. Quocirca Rhadamanti iudicandiq; modus ille his hominibus minime congruit. Nã cum opiniones hominum de dijs mutata sint, leges quoq; cõmutanda sunt. Itaq; prudens legislator in iudiciorum executione iusurandum litigantium prohibebit, vt tam accusatoris intentio quàm defensoris deprecatio sine iureiurando in iudicij conscribatur. Nam si iurandi licentia in ciuitate cuique dabitur, vbi plura ad iudices quotidie deferuntur, omnes penè periuri erunt, præsertim qui præsentibus conuiuis aliaq; consuetudine ac priuata necessitudine coniuncti sunt. Lege igitur statuatur, iudicatum iudicem iurare, atq; eos etiam qui reipublicæ magistratus suffragijs constituent: Chorea quoq; iudicem, & omnis musica, gymnycorum etiam equestriumq; munerum in certamine præfides atque datores: & summam in quibuscunq; secundum hominum opinionem nulli emolumento periurium sit. In quibus autem utilitatem ex periurio aliquis assequitur, ea sine iureiurando iudicentur. Et qui iudicaturi sunt nullo modo litigantes permittant aut iurare persuadendi causa, aut sibi generiq; suo imprecari, aut turpiter supplicare, aut commiseratione

Iuramentũ
quando of-
ferendum.

seratione

Causa quo
modo dicen
da.

eratione muliebriter vi: sed quod iustum putant, mansuetè doceant, & docentem audiant. quod si ab his aberrat, ad rem à magistratu reducat. Peregrinis autè inter se litigantibus, quemadmodum nunc si velint, iurare liceat. Nam cum in ciuitate cōsensere non debeant, non formidandum ne alios corrumpant. Eodem autè modo inter liberos homines executio iudicij fiat, si quis liber ciuitati non obtemperat in ijs qua nec verberibus nec vinculis nec morte plectitur. Ac si quis ad choream vel ad pompam celebrandam non venit, vel aliam huiuscemodi rem cōem, vt ad ministerium sacrificij pacisq; sacra, vel belli, tributum non contulit: in his oib; quam primum damnum restituatur, aut pignus cui ciuitas lexq; cōmiserit, deferatur, exactoq; tempore pignore vendito pecunia in ararium conferatur. Quod si maiore multa opus est, magistratus singuli pertinaces homines in iudicium vocent, & debita multa imposta legibus parere compellant. Sed ciuitati qua colligenda pecuniae operam non dat, & sola ex agricultura pecunias habet, cum neque mercaturae neq; peregrinationibus vacet, neq; peregrinos aliunde suscipiat, deliberare necesse est quid faciendū sit. Quare legislator suadendo primum ita pro viribus consulat. Solet gentium diuersarum cōmixtio varios mores cōfundere, & peregrinorum cū peregrinis consuetudo plurima innouare. Quod ciuitati bene rectisq; legibus instituta maxime oīum nocet. In ciuitatibus autè male institutis nihil refert, si tam senes quam iuuenes pro arbitrio, & alio peregrinentur, & aliunde peregrinos suscipiant. Contra verò nullos vnquam recipere aduenas, nec alio ipsos proficisci, tum impossibile est, tum crudele atq; superbum ceteris hoībus videatur necesse est, qui ciuitatem turpi vocabulo notent, peregrinorum hostem & difficile atq; inhumanam appellantes. Non oportet autè vnquam parui facere, vtum probus an improbus alijs videaris. Multi. n. quamuis virtutis expertes sint, qui tamen pro bi sint, qui improbi, iudicant. Nam prauis quoq; hoībus diuina quadam conijcendi vis inest, perquam multi vel pessimi rectè tum opinione, tum verbis à melioribus detiores distinguant. Quocirca vtiliter ciuitatibus praecipitur, vt bonam apud multos existimationem non parui pendant. Maximum sanè atq; rectissimum est, vt cum sis probus, ita gloriam quaeras, aliter minime, si modo perfectus vir futurus es. Quapropter Cretensis quoque ciuitas ista conari debet, vt quamoptimam virtutis existimationem apud ceteros homines consequatur. Maxima verò spes est eam ratione viuentem, merito Solem ceterosq; deos cum alijs ciuitatibus regionibusq; bene gubernatis visuram esse. Sic igitur de peregrinatione aliò, & de peregrinorum receptione sciendum est. Ei primū qui pauciores annos quam quadraginta natus est, nullo modo peregrinari liceat. priuato quoque nemini liceat. publice autem praconibus, legatis, atque exploratoribus liceat. Profectò verò extra regionem ad gerendum bellum, civilis peregrinatio putanda non est. Ad Pythium verò Apollinem, ad Iouem Olympicum, Nemeam etiam & Isthmum mittendi sunt aliqui, per quos sacrificia ludosque his dijs ciuitas nostra communiter conferat. Mittantur autem pro viribus plurimi, pulcherrimi, optimi, qui in sacris pertinentibusq; ad pacem cōmunionibus ciuitati sua honorem & gloriam bel-

lica gloriae respondentem comparent. Cumq; redierint, iuniores doceant, ciuiles aliorum institutiones suis multo posteriores esse. Spectatores quoq; alios qui otio abundantes aliorum res hominum considerare cupiunt, ex legum custodum instituto lex nulla prohibeat. Nam ciuitas bonorum malorumque hominum ignara, & externa consuetudinis expertis, nunquam satis humana atque perfecta esse potest, nec leges seruare moribus & consuetudine solum, nisi etiam notitia legum prudentior fiat. Existunt vel in vulgò & multitudine homines quidam diuini quamuis pauci, attamen digni quibuscum consuetudinem habeas. hi nō magis in bene gubernatis ciuitatibus quam in alijs oriuntur. Quicūq; igitur in ciuitate rectè gubernata incorruptus erit, horum vestigia à patria profectus, terra marisq; sequetur, vt tandem reuersus, legum patriae alias probet, alias si qua in re deficiunt, corrigat. Quippe sine hac inspectione inuestigationeq; nunquam optime ciuitas permanebit, neque etiam si male inuestigetur. c. l. Quomodo hac vtraque fiet? A. T. H. Hoc certe pacto. Primo spectator huiusmodi annos plures quam quinquaginta natus sit: deinde cum in ceteris, tū maxime in bello probatus, si modo legum custodum exemplum in alijs ciuitatibus sit relicturus. Is vltià sexagesimum annum nō amplius vegetetur. Sed citra decimum annum quando uerit domum reuersus eorum ineat cœtum qui leges examinant. Hic cœtus è iunioribus atque senioribus constat, quotidieq; mane donec sol oriatur, conueniant: primum de sacerdotibus qui tanquam ceteris excellentiores muneribus affecti sunt, deinde decem de legum custodibus seniores, postremò disciplina vniuersa censor, qui magistratum hunc gerit, & qui iam exegerunt. Nec vllus istorum solus, sed cum iunioribus aliquo quem delegerit à trigesimo ad quadragesimum annū nato. hi de legibus semper & de Republica differant, cōferantq; inuicem siquid de his excellens audierint. De disciplinis etiam ad id cōducentibus colloquantur, quas qui sciunt, facilius, qui nesciunt, difficilins legum intentionem intellecturi sunt. Quae verò ex his seniores probauerint, magno studio iuniores perdiscant. Quod si quis iunior adductus indignus videbitur, totus cœtus ei exprobet, qui adduxit. Iuuenes autem qui se in his rectè gesserunt, tota ciuitas honoret atque conseruet. Sed si peiores alijs se reddunt, maiori quam alijs dedecore afficiantur. Ad hunc cœtum qui aliorum leges & mores inspexit, ilicò profectus, si quid de ferendis legibus aut disciplina aut educatione apud alios reperit, exponat. siquid etiam ipse inuenit, cœtui vniuerso declaret. Qui si nec peior reuertisse videbitur, laudetur, quia quod potuit, libetè effectit. Sin meliò melior, & viuus magnis afficiatur honoribus, & defunctum cœtus omnis decoret. At si corruptus reddisse videbitur, cum se sapientem esse simulet, cum nemine iunioribus vel seniore audeat se miscere. Hic si magistratibus paret, priuatus viuat. Sin autem contra magistratum voluntatem de disciplina legibusque civilibus disputare condemnatus in iudicio fuerit, moriatur. Et si cum in iudicium deduci iure debuerit, à nullo magistratum sit adductus, quando de muneribus postea decernitur, opprobrio haeres magistratibus sit. Atque aliò quidem profecturus, huiusmodi esse & ita peregrinari debet. Sed & aduenae benigne suscipiendi sunt. Quat-

Peregrina
tū genera.
tuor

tuor autem peregrinorum genera sunt, de quibus facienda mentio est. Primum eorum qui semper aestiuales sunt, & quasi aues per mare ut plurimum acquirenda pecunia gratia, aestatis tempore ad alias deuolant ciuitates. hos foro, portubus, publicisq; domibus extra urbem in ipsis suburbij magistratus locis illis praefecti suscipiant, obseruantes nequis eorum noui aliquid faciat. Iudicia et illis eis iuste reddantur, ita ut nihil plus quam necessitas cogat, cum ijs familiaritas habeatur. Alterum est eorum qui spectaturi veniunt, & ciuitatis musas illic audituri. hi oēs diuersoria iuxta templa habeant, qua suscipiendis hospitibus commodissima sint. Sacerdotes vero et aditui curam ipsorum habeant, ut incunde possint sufficienti tempore permanere, & videre, audireq; illa quoru gratia venerunt, & tandem sine detrimento & suo & aliorum recedere. Quod si quis eoru iniuriam cuiquam intulerit, aut affectus iniuria sit, usq; ad drachmas quinquaginta sacerdotes cognoscant. Crimina vero maiora ad curatores reru venalium deferantur. Tertium peregrinoru genus publice suscipiendum est, cu aliunde quispiam publica causa missus aduenerit. hunc imperatores, magistri equitu, tribuni militum soli suscipiant. Et is apud que diuertit, cu principibus consilij curam huius habeat. Quartu genus rarissimu est. Accedere tamen aliunde aliquis poterit spectatoribus nostris altera parte respondens. hic ita recipitur: primo si quinquaginta annos impleuerit, deinde si ea mente venerit, ut vel consideret q apud alios praecleara habentur, vel sua doceat. hic sane diuitum sapientumq; ianuas iniussus adeat, cu ipse homo sit, & quasi hospes disciplina praefecti domum recte petat, non dubitans hospitalem ea propter virtutis coniunctionem sibi futura. Cumq; ab alijs didicerit atq; docuerit qua discenda docendaq; putauit, honore sibi congruo muneribusq; affectus, ut ab amicis amicus abeat. His legibus peregrinos peregrinasq; suscipiamus, nostrosq; similiter emittamus, hospitalem veriti Ionem. Non enim est & hostijs, quoadmodum apud Nilu fit, peregrini pellendi sunt: nec atroci edicto a sinibus nostris arcendi. Fideiusfor quilibet, palam fideiubeat, totumq; negocium conscriptum cora tribus nec paucioribus testibus fateatur, si extra mille drachmas fideiusio fiat: sin ultra mille, quinq; ad minus testes adhibeantur. Fideiusfor aut sit qui prius vendidit, eius de quo an iure possit vendere dubitatur: atq; eius qui videtur minus ad promissa sufficere: simili terq; tam qui puendit, quam qui vendit tanqua obnoxius iudicio subijciatur. Siquis in domo alterius quarere quipiam tanqua suum velit, is primo iureiurando affirmet sperare quod querit, ibi se inuenturum: deinde nudus aut interula indutus ingrediatur praecinctus, praebeatq; ipsi domus, & suppellectilia signata simul & no signata. Quod si quis scrutari volente non permiserit, qui prohibitus est, precio amissa rei statuto accuset eu qui ipsum depulit, & ille si damnatus fuerit, duplu restituat. Si domus ipsius domus abfuerit, non signata solummodo a praesentibus praebantur: signata vero ipse quoq; obsignet, & custodem ad quinq; dies relinquat. Quo in tempore si patronus non venerit, adilibus secum acceptis obsignata resignet, & cum ante oculos domesticorum & adilium quaesierit, rursus obsignet. In rebus ambiguis spatium temporis ad praescriptionem determinandum est. De domi-

bus quidem & agris nulla hac ratione disceptatio erit. Aliarum vero rerum si qua a quoquam habetur, isq; in urbe, foro, sacris, aperte anno integro re illa usus fuerit, atq; hunc non occulisse constet: nec quisquam interea quamuis quarens eam exegerit, nemini liceat deinde rem illam quasi suam reposcere. Verum si non in urbe, sed in agris manifeste utatur, nec in annis quinq; rei dominus compertus sit, quinquennio exacto repeti nequeat. Sin vero in urbe domi utatur, ad triennium usq; apprehendere possit qui amisit. In agris autem si occulte habet, usque ad decennium. Sin extra regionem, semper quandocunq; inuenit, apprehendat. Quando aliquis vi eum qui litigat seu testes venire in iudicium prohibet, si seruus ille sit, siue suus, siue alterius, nullius momenti lata sit, sin vero liber, & sententia irrita sit, & anno vinciat qui depulit, & si quis latrocinij eum accusare voluerit, fas esto. Siquis aliquem secum musica vel gymnica vel alia quauis facultate certaturum in certamen descendere vi prohibuerit, quisquis velit munerum declaratoribus id significet, qui procurent ut quilibet liber certare possit. Id si facere non potuerint, victoria munera prohibito dentur, si prohibitor vincet, & ipsius tanqua victoris nomen in quibuscunq; velit templis inscribatur. Prohibenti vero nec nomen inscribere, nec victoria offerre insignia liceat. Ac seu vincat certando seu vincatur, illati damni crimine reus sit. Si quis rem furto sublatam sciens receperit, in eadem culpa sit qua ille qui furatus est. Qui exulem seu quemuis huiusmodi fugientem susceperit, moriatur. Quippe quem ciuitas amicu sibi vel hostem decreuerit, eundem sibi quisq; similiter existimare debet. Siquis consilio suo absq; autoritate coi pacem iniuit, aut bellum mouit, ultimo supplicio condemnatur. Quod si pars aliqua ciuitatis id tentauit, huius rei auctores a militia imperatoribus tracti in iudicium, & dana ti morte plectantur. Qui patria in aliqua re ministrant, nullo modo munera recipiant: nec vlla occasione aut ratione nobis persuadeamus, in rebus quidem bonis suscipienda esse munera, in alijs minime. Nam nec cognoscere facile est, neq; cum cognoueris, continere. Idcirco tutius est, legibus obtemperare, dicentibus nulla pro patria ministerio munera esse suscipienda. Siquis vero minus obtemperasse damnatus fuerit, moriatur. Tributa vero sic publica disponantur. Primo quidem multorum gratia rerum oium cuiuscunq; ciuis census habeantur. Deinde annuos fructus tribules ad agri magistratus conscriptos deferant, ut cum duo tributa sint, Respublica possit alterutro, ut videbitur, annis singulis uti, scilicet vel vniuersi census vel annui fructus parte. Vnde qua ad alimentum tribuuntur, semper excipiantur. Donaria dijs moderata a moderatis hoibus offerantur. Terra quidem & veta, sacra deorum omnium habitatio est. Nemo igitur ex hac materia iterum simulacra dijs constituat. Aurum atq; argentum & priuatum & in templis, in alijs ciuitatibus inuidiosa possessio est. Ebur vero cum olim ab anima destitutum fuerit corpus, ad deorum simulacra ineptu est. Aes atq; ferru bellica sunt instrumenta. Ex ligno igitur vno vel vno quouis lapide, integra deoru imagines in templis comunibus statuatur. Textura quoq; opus offeratur non maius quam quod ab vna muliere mense vno fieri potuit. Colores albi tu in alijs quam in textili artificio

Praescriptio

Fideiusfor.

Quae dijs offerenda.

artificio, dijs congrui sunt. Tincta verò coloribus alijs, ad bellica insignia solum exhibeantur. Diuiniſſimæ verò oblationes sunt aues, atq; pictura, quas singulas vno die pictor vnus depinxit. cetera quoq; omnia his similia sint. Post verò vrbis partes quæ & quot esse debent, distincta sunt, & leges de pactis cõmercijsq; maximis pro viribus posita: superest vt de iudicijs iam dicamus. Primam igitur arbitri iudices quos litigantes elegerint, locum habeant. hi conciliatores cõmodius quàm iudices appellari possunt. Deinde vicini & tribules secundũ partẽ duodecimam distributi. Apud quos si reconciliati à primis non fuerint, maiori cũ damno litigent. Vbi si debitor iterũ condẽnabitur, quintam debiti partem persoluet. Quicunq; verò ab hoc quoq; iudicio appellat, ac tertio certare volet, electos iudices petat. Et si ab ijs etiam condẽnabitur, & quantũ debitum ipsum est, & dimidiam suprà debitũ partem offerat. Ac si accusator à primo iudicio repulsus non quieuerit, sed in secundo iudicio iterum certare voluerit, quintã si vicerit partẽ accipiat, victus aut tantundem amittat. Quando verò per primos & secundos iudices nondum reconciliati, tertios petunt, debitor quidem victus, tantundẽ & dimidiam insuper debiti partẽ, vt diximus, victori deponat: accusator aut superatus dimidiam. Sed de creandis declarandisq; iudicibus, de istorum oĩum administratione, de temporibus, in quibus singula faciendã sunt, de ferendis suffragijs, de mora & dilatione iudicij, termino, citatione, repulsa, ac de ceteris oĩbus quæ iudicijs necessaria sunt, quamuis in superioribus tetigimus: tamen quæ pulchra sunt, vt habet prouerbiũ, & bis & ter recte dici possunt. Parua verò quæq; & inuentu facilia, si legulatores antiquior p̄termiserit, iunior repleat. Sed de priuatis quidẽ iudicijs satis iam dictũ est. Publica verò atq; cõia quibus v̄si magistratus, q̄ ad hos pertinent peragunt, in multis ciuitatibus à prudẽtibus viris recte constituta reperiuntur. Vnde custodes legũ oportet quæ huic noua resp. congruat accipere, ita vt singula periculo examinata & corrigant diligenter & probent, donec sufficienter se habere putentur. & deniq; discussioni sine imposto his tanquã immobilibus per totã vitam vtantur. De silentio vero, laude, vituperationeq; & de iustis, bonis, honestis, q̄ in alijs ciuitatibus differũt, & dictum est, & in fine dicetur. Ad q̄ oĩa æquus futurus iudex respicere debet, atq; operã dare, vt has legũ constitutiones ante oĩa discat, & mēte firmiter teneat. Nã ad sancierendũ eum virum qui didicit bonum, scripta legum præ ceteris doctrinis si recte se habent, maximẽ conferunt. Neq; n. temere miranda diuinaq; lex nomen menti proximum possidet. v̄oos. n. mentem, v̄oos verò leges significat. Nam cùm multi sermones de laude vituperationeq; nonnullorum partim carminibus, partim soluta oratione tũ scripti circũferantur, tum quotidie in coronis seu contendendo, siue falso assentiendo habeantur, horum oĩum perspicuum examẽ legislatoris scripta nobis sunt. Hæc quasi remediũ medelamq; aduersus aliarum orationũ venena, probẽ iudex secum semper tenebit: quibus seipsum ciuitatemq; emendabit, bonos confirmabit atq; extollet, prauos ex ignorantia, incõtinentia, timiditate, & vt summarim dicam, iniustitia vniuersa pro viribus si sanabiles sunt, renocabit. Nã si sanari nõ possunt, qui eos morte afficiunt, apud oēs laudi

Iudicia priuata.

Publica.

digni iudices iudicumq; principes non iniuria sepius dici posse videntur. Sed post quã annua iudicia exacta sunt, legibus his vtantur. Primum magistratus qui iam iudicium exercet, debitoris dãnati pecuniam petitori oẽm tradat, necessarijs tantũ ad v̄sum relictis. Idq; statim post lata suffragia fiat nũciantẽ p̄cone, & iudicibus audientibus. Deinde si secundus à lata sn̄a aderit mensis, neq; victori victus sponte iuste persoluerit: iudices qui sn̄a amulerunt, cunctam debitoris pecuniam victori tradant. Quod si p̄sentia minus sufficiunt, nec minus quàm drachma deficit vna, non liceat deinde debitori prius alium quenquã in iudicium trahere, quàm debitum creditori totum restituat. Trahi verò ab alijs possit. Si quis in iudicio dãnatus iudices ipsos laeserit, aut quicquam eorum iniuste abstulerit, idem ipsi iudices ad custodes legum deferant: A quibus si criminis huius dãnabitur, quasi ciuitatem oẽm legesq; euerterit, moriatur. Qui sub his legibus geniti educatiq; liberos similiter genuerunt, atq; educauerunt, ita cùm alijs versati vt moderatum fuerit eorum cõmercium, illata iniuria p̄enas dederint, accepta exegerint, sicuti iuste legibus his vsq; ad senectutem viuunt, ita secundum naturam è vita decedunt. Mortuus verò tam viris quàm mulieribus parentationes quidem, & q̄ ad deos siue inferos siue superos pertinent, secundũ responsa interpretũ fiant. Nullũ in loco fecundo & agro ad culturã apto sepulchrũ fiat. Sed is locus corpora defunctorum recipiat, qui ad cetera inutilis & ad id tantum cõmodus viuentes minime ledit. Nec. n. à viuis neq; à mortuis terra matris fecunditas impedienda est. Nemo ergo aut viuens aut mortuus viuũ aliquẽ alimentum priuet. Agger non altior sit eo cumulo, quẽ viri quinq; diebus quinq; construere possunt. Lapides quoq; si perstruantur non maiores quàm vt possint defuncti laudes quattuor solũ heroicis versibus editas comprehendere. Oblationes aut nõ breuiori vel longiori tempore intus fiãt, quàm verè mortuus significari cognoscĩq; possit. Ac vt humana se habent, triduaana elatio ad sepulchrũ mediocris videtur. Credendũ est autẽ & de alijs legulatores & de anima, cùm eam dicat omnino à corpore differre, nec aliud præter ipsam esse, quod in hac vita facit vt quilibet nostrum hoc ipsum sit quod sumus. Corpus verò tanquam imaginariũ quiddam hoĩem sequi. Cõmodè etiã mortuorum simulacra corpora vocari. Ac reuera vñquẽ nostrum animam ipsam immortalẽ esse, eamq; ad deos alios profecti, rationem suorum operum reddituram, vt lex patria continet. In quo certè bonis viris confidendũ esse, malis autẽ formidandum: quippe cùm post mortem omni auxilio careant. Viuentibus autem necessarios omnes consulere debuisse, vt quàm iniustissimè atque sanctissimè viuant, ne maxima eos scelerum post mortem supplicia maneant. Hæc cùm ita se habeant, rem familiarem atterere minime debemus, quasi arbitremur hanc carnis molem quæ sepelitur, nostrum illum esse, cùm ille filius aut frater aut quiuus alius à nobis desideratus, quem sepeliri putamus, hinc aliõ fati suis exactis profectus fuerit. Probẽ igitur factũ erit, si tanquã ad manium aram aĩa carentem moderato vtamur impendio. Moderatum verò quantum sit, à legumlatore merito statuetur. Lex igitur ista sit, vt quĩ maximi cẽsus est, ad funus & sepulturã non plus quàm minas quinq; impendat:

Locus sepulchrorum.

De corpore & anima quædam.

impensat: qui secundi tres, tertij duas, quarti vnam: atq; ita singulorum moderata erit impensa. Caterum custodes legum cum alia multa, tum hoc maxime curare debent, vt pueri & viri, & vt summam dicam, cuiuscunq; sexus vel etatis homines ab illis iugiter obseruati bene viuant, & ciuis cuiusq; decessu, vnus ipsorum quem mortui hōis coniuncti elegerint, funus totum obseruet, provideatq; vt bene moderateq; oīa, non contrā gerant, & illud sibi honori, hoc dedecori sit. Expositiones vitz & elationes & cetera oīa secundum leges de his cōscriptas fiant. Ciuilis autem legis latori cōcedantur ista. Lacrymis mortuos decorare aut non turpe legumlatori cogere est: plangere verò & extrā domum vociferari, prohibendum est. Cadauer etiam manifeste per vias vrbis frequentiores efferre, & palam euolare, aut ante diē extrā urbem se afflictere, non liceat. Hec ita de his statuta permancant. Quibus qui parerit indemnus esto. Qui verò vni legum custodi non parerit, ab omnibus vt communiter videbitur, puniatur. Cetera quae vel ad mortuorum monumenta, vel ad eos qui propter patricidium sacrilegiumq; sepultura indigni sunt, pertinent, superioribus legibus comprehendimus. Quare legum positio ferme finem habet. Omnium verò finis est, non in eo quod facta sint vel possessa vel habitata, sed in eo potius, quod sicut recta sunt facta, ita firmiter stabilita sint. In huiusmodi n. conseruatione putandum est quātum oportuit factum esse: aliter minime. CL. Probè loqueris hospes, sed quorsum ista, explanatius dicito. ATH. Multa, dō Clinia, priscorum praclarè dicta laudantur: nec minus Parcarum nōa. CL. Quanam? ATH. Quod Lachesis prima sit, Clotho altera, Atropos tertia, q̄ salutē praedictis affert. Hac ad ignē contortis, quia vim inconuertibilem continent, cōparata sunt. Quae quidē in ciuitate & Rep. oportet non solum sanitatem corporibus stabilem, sed animis quoq; legū cultum, imò verò legum salutem afferre. Sed mihi videtur negotio legum adhuc illud deesse vt differatur, quo pacto illis secundum naturam vis inconuertibilis possit inesse. CL. Non parū est quod dicis, si inuētū possibile est, quo pacto in vnaquaq; rectè id fiat. ATH. Possibile est profectō, vt mihi ad praesens videtur. CL. Ne igitur abeamus hinc obsecro, antequam nostris legibus id tribuamus. Ridiculum est. n. frustra in aliqua re sumpsisse laborē, nec stabile aliquid fundauisse. MEG. Rectè tu admones: me quoq; talem inuenies. CL. Probè dicis. Quae igitur salus ista est? & qua ratione Reip. nostrae & legibus aderit? ATH. Nōne diximus cœtum in ciuitate huiusmodi esse constituendum quo decem de legū custodibus semper seniores conueniant? His accedant oēs qui muneribus praemijsq; honorati sunt. Praeterea & illi qui multas vrbes peragrauerunt, vt aliquid ad patriarum legum conseruationem conferens reperirent. sed hi ad cœtum huiusmodi non recipiantur, nisi ex ea peregrinatione incorrupti & integri rediisse, & cœtu digni esse probentur. Atq; horum singuli singulos sibi iuniores asciscant, non pauciores annos quàm triginta natos, qui natura educationeq; digni esse asciscenti primum, deinde & vniuerso cœtui videantur. Quod si quis indignus adhibeatur, nullius momenti sententia sit. Hunc cœtum ante lucem conuenire diximus oportere, quando à ceteris tam priuatis quàm publicis negotijs vacatur. An non

tale aliquid in superioribus diximus? CL. Certè. ATH. De hoc cœtu iterum illud dicam. Aio enim, si quis hunc quasi ancoram vniuersae ciuitatis quacunq; ad hoc exigūtur in se continentem, iaciat, omnia quae volumus, seruaturum. CL. Quo pacto? ATH. Opportunè modo dicemus, totiq; viribus incumbemus. CL. Probè dixisti, & vt cogitas facito. ATH. Oportet sanè, dō Clinia in vnaquaq; re congruum singulorum operum seruatore excoGITARE. Qualem maxime locum in animalibus anima & caput habere videntur. CL. Qua ratione rursus id ais? ATH. Horum nempe virtus omni animali salutem praebet. CL. Quo pacto inquam? ATH. Nam anima quidem ad alia mens infusa est: capiti quoque ad alia visus auditusq; insertus. Atque ita summam pulcherrimis sensibus mens coniuncta, & in vnum redacta, salus singulorum efficitur. CLIN. Ita videtur. ATH. Certè. Nam & mens sensibus coniuncta nauibus in tempestate & tranquillitate salutem afferre solet. An non vides quod gubernator & nauis simul cum mente gubernatrice sensum coniungentes seipsos nauemq; tutantur? CL. Quidāni? ATH. Non multis exemplis opus est. Sed in exercitu & medicina consideremus, ad quod signum respicientes imperatores & medici, salutem rectissimè consequuntur. Nōne illi ad hostium fugam & victoriam suam? isti ad corporis sanitatem? CLIN. Proculdubio. ATH. Si medicus corporis sanitatem ignoret, aut victoriam imperator, & cetera quae dicebamus, mentē mne habere scireq; aliquid in his videbuntur? CLIN. Nequaquam. ATH. Quid porro in ciuitate? si quis finem ad quem vir ciuilis respicere debet, ignorare videatur, an primum iure princeps poterit appellari? Deinde seruare id poterit, cuius finem prorsus ignorat? CL. Minime. ATH. Oportet igitur & nunc, vt videtur, si nouae huius vrbis constructio bonum exitum habitura sit, aliquid in ea esse quod cognoscat, primum quisnam ciuilis sit finis: deinde quomodo illum assequamur: & deum quae lex primum, deinde quisnam hominum rectè ad illum consulit, aut non rectè, quippe quae ciuitas his carebit, non erit mirum, cum mente sensuq; capta sit, si forte casusq; singula faciat. CL. Vera loqueris. ATH. Nunquid dicere possumus? qua maxime ciuitatis nostrae parte vel quo studio hōi aliquod ad salutem praesidiū sufficienter constitutum sit? CL. Quamuis non liquido id asserere audeā hospes, conicio tamen hanc orationē tuam ad nocturnum illum cœtum quem modo dixisti, contendere. ATH. Rectè, dō Clinia, coniecisti. Oportetq; illum vt ratio praesens significat, oī virtute praeditum esse. Virtus autē eius prima atq; praecipua est, ne per multa variaq; vagetur: sed ad vnum respiciat semper, quod omnia quasi tela sibi semper dirigenda sunt. CL. Ita prorsus. ATH. Nunc ergo intelligimus non esse mirum, si ciuitatum leges longè aberrerent. Nam in qualibet ciuitate alia legum positio ad aliud, & alia ad aliud respicit. Et alijs iustorū finis est, vt aliqui siue meliores illi quidē siue peiores in rep. dorminentur. Alijs vt ditentur, siue seruiant, siue nō. Aliorū studium vertitur ad libertatē. Alij leges ad duo condūt, vt & ipsi liberi sint, et alias vrbes subigāt. Qui verò sapientissimos se putant, ad hōi oīa simul. Vnū verò praecipuum ad quod cetera dirigant, non habent. CL. Nos igitur hospes rectè iandū legibus nostris ad vnum

Ff respicien

Cur ciuita-
tū leges lon-
gè aberrēt.

respicendum putauimus, idque virtutem appellari concessimus. ATH. Ita est. CL. Et virtutem quattuor quaedam ponebamus. ATH. Certè. CL. Mentem verò horum omnium ducem, ad quam & cetera omnia, & tria illorum respicere oporteret. ATHEN. Pulcherrimè sequeris, ò Clinia. Et in ceteris similiter sequere. Mentem quidem gubernatoris, medici, imperatoris, ad certum quiddam respicere dicebamus. Ciuilem verò redarguentes huc proeesimus, & nunc veluti hominem, ita ciuilem hanc mentem percontemur. O mirificè vir quò tendis? Quid illud vnum est, quod in arte sua medicus planè assignare potest, & tu qui ceteris prudentibus prestare te dicis, in tua facultate non poteris? An vos, ò Clinia, & Megille pro ipso respondere potestis quid hoc ipsum sit, ut ego saepe ad vos pro alijs feci? CL. Nequaquam hospes. ATH. An non querendum putatis, quid illud sit, & in quibus? CL. Dic planè. ATH. Cum quattuor virtutis species posuerimus, patet earum quamlibet vnam esse, si quattuor simul conficiunt. CL. Quidni? ATH. Vnam etiam cuncta hæc nominamus. Fortitudinem. n. virtutem esse dicimus, prudentiam virtutem, & reliqua duo similiter, quasi reuera non multa sint, sed vnum id solū, quod virtus est. CL. Omnino quidem. ATH. Inquam igitur duo hæc inter se differunt, & duo nomina acceperunt, atque alia duo similiter, difficile dictu non est. in quantum verò in vtrisque vnum posuimus, idque virtutem vocauimus, & in duobus reliquis similiter, non ita facile. CL. Quomodo istud ais? ATH. Non est arduum quod dico, explanare. Agite ergò interrogandi respondendiq; munus inter nos partiamur. CLIN. Quo pacto? ATH. Interroga tu me quidnam vnum appellantes virtutem, duo vtraque rursus diximus, alterum fortitudinem, alterum verò prudentiam. Causam equidem tibi affero, quòd alterum circa timores versaretur. Vnde beluæ quoque fortitudinis participes sunt, & infantium animi. Natura enim quodammodo & sine ratione animus fortis efficitur, sed absque ratione prudens anima et mentis compos nec fuit vnquã, nec est, nec erit. Aliud ergò hæc est quàm illa. CLIN. Vera loqueris. ATHEN. Quomodo ergò duo hæc & differentia sunt ratione, à me accepisti. Quomodo verò vnum & idem, tu rursus me doceas, ita ut dicturum te putes, quo pacto cum sint quattuor, rursus vnum sint, & me postea tibi rursus quomodo quattuor sint, declaraturum. Deinceps autem consideremus, vtrum qui res aliquas sufficienter intelleturus est, quæ & nomen habent & rationem, nomen solummodo scire debeat, rationem minime. An potius si precij alicuius est, turpe est rerum magnitudine & pulchritudine excellentium tam nomina quàm rationes ignorare. CL. Ita videtur. ATH. Legum verò conditori atque custodi, & ei qui virtute prestare ceteris opinatur, & munera pro his rebus accepit, estne maius aliud quàm fortitudo, temperantia, iustitia, atque prudentia? CL. Quomodo aliud? ATHEN. De ijs igitur interpretes, doctores, legum conditores, aliorum custodes, nonne ceteros qui scire cupiunt, vel punitione & increpatione indigent, docere debent, quas vires virtus, quas virtutum habeat, atque hæc significando excellere ceteris? An verò poeta quispiam aut iuuentutis magister urbem nuper ingressus, eo præstantior indicabitur, qui omni se

Fundamen
ta legū o
mnium.

virtutis
autem
virtutis

virtute excellere profitetur? & deinde mirum videbitur, si ea ciuitas vbi custodes virtutis nomen rationemq; non tenent tanquam desertam custode, eadem patiatur, quæ & alia multa hodie patiuntur? CL. Nihil certè mirum. ATH. Ad hoc itaque incumbamus. Quomodo igitur custodes in virtute ceteris tam re quàm verbo exquisitiores reddemus? Vel quo pacto prudentum capiti atque sensibus similis ciuitas nostra propter huiusmodi custodiã fiet? CL. Quonam pacto hanc, ò hospes, similitudinem faciemus? ATH. Patet quia ciuitas capitis quaedam capacitatis erit, custodes autem iuniores sagaces solertesq; supremo in vertice collocabuntur. Vnde urbem totam circumspectent, & custodiendo quæ sentiunt, memoria commendabunt, omniaq; senioribus nunciabunt, qui mentis ob rerum multarum cognitionem persimiles, ciuitati consulent iuuenum ministerio vsi. Atque ita vtrique communitè ciuitatem omnem conseruabunt. Sicne an aliter ipsos præparandos putamus? An aequales omnes habendos esse censemus? nec exquisitiori ratione educari erudiriq; nonnullos volumus, eosq; ceteris anteponi? CLIN. At id quidem, ò mirificè vir, impossibile est. ATH. Ad exquisitiorem ergò disciplinam quàm superior illa sit, veniamus. CLIN. Sic ferme. ATHEN. Atqui ea forte quam modo tetigimus, hæc ipsa est, quam quarimus. CL. Omnino. ATH. Dicebamus autem præcipuum in singulis opificem atque custodem, non solum oportere, ut multa cernere possit, sed ut ad vnum etiam tendat, illudque cognoscat, & cum cognouerit, cuncta illo quæ perspicit, dirigat. CLIN. Rectè. ATHEN. Est ne igitur exquisitior consideratio alia rerum quàm ut possit ad vnam ex multis dissimilibusque ideam aspicere? CLIN. Fortasse. ATHEN. Ne fortasse dicas, sed reuera, ò beatè vir, nemo certiore hac viam rationemque vnquam habebit. CLIN. Tuis rationibus hospes persuasus concedo, quare ita prosequamur. ATHEN. Compellendi ergò diuina Reipublica custodes nobis sunt, ut exactè inspiciant, primum quid in omnibus quattuor idem sit, quod cum in fortitudine, temperantia, iustitia, & prudentia insit, vno virtutis nomine iure volumus appellari. Id, ò amici, si vultis, modò apprime teneamus: nec dimittamus antequam satis pateat quidnam illud sit, ad quod siue quasi ad vnum, siue quasi totum, siue ad vtraque, siue quomodocunque se habeat, respiciendum sit. An putamus si hoc nos effugerit, satis nobis patere, quæ ad virtutem pertinent, de qua nec si multa, nec si quattuor, nec si vnum, explanare possimus. Aut igitur si nostro consilio creditis, modum adinuenire conabimur quo id in ciuitate nobis aderit, aut si videbitur, dimittemus. CLIN. Minimè per hospitalem deum, ò hospes, dimittendum hoc est. Rectissimè nanque id idcere videris. Sed quo pacto quis hoc inueniet? ATHEN. Nondum quomodo agendum dicamus: sed primum inter nos, oporteat necne, conueniamus. CLIN. Oportet certè, si possibile est. ATHEN. Quid porro de honesto ac bono? Vtrum quod solummodo multa sint, custodes nobis cognoscent? an etiam quomodo vnum cognoscent? CLIN. Necessarium videtur ut etiam quomodo vnum sunt, intelligant. ATHENIENS. Quid deinde? Intelligerene solum debent, oratione autem declarare non posse quod intelligunt? CLIN. Quo

id

id pacto seruilis enim habitus esset. ATH. Num etiam de omnibus studio dignis eadem ratio est, ut eos qui veri custodes futuri sunt, oporteat veritatem legum optime intelligere, orationeque sufficienter exponere, & operibus assequi, quae recte sunt, quae non, secundum naturam diiudicante? CL. Cur non? ATH. Nōne vna de rebus optimis est ea de qua supra serio disputauimus? Vbi quod sint dii, & quod vires maximas habeant, demonstrauimus: idque pro viribus homini esse sciendum: ita ut multis ignoscamus, si legum tantummodo sententiam sequantur, custodiam vero nulli committamus qui non multo labore firmam fide quaecumque ad deos pertinent, fuerit affectus: ut neminem unquam custodem legum eligamus aut ceteris virtute anteponamus, nisi diuinus sit, diuinisque studiis operam dederit. CL. Par est igitur, ut ais, si quis in re diuina tardus et ineptus sit, ut is longè à rebus pulcherrimis arceatur. ATH. Scimusne igitur duo esse, quae faciunt ut qua supra de dijs exposita sunt, credantur? CL. Quae nā? ATH. Vnum quidem illud de anima supradictum, quod antiquissima diuinissimaque omnium sit, quorum motus generationem sortitus substantiam semper fluctem produxit. Alterum de ordine: quo astra ceteraque feruntur qua intellectus ducens, omnia exornauit. Nemo enim qui haec diligenter considerauit atque percepit, adeo impius unquam fuit, ut contra non sit affectus quam multi suspicentur. Plerique enim putant eos qui haec tractant astronomia et alijs huiusmodi ad haec necessarijs artibus dediti, à religione alienos esse. Quippe cum necessitatem pro viribus qua res fiunt, inspexerint, non voluntate diuina boni gratia omnia gigni credere illos arbitrantur. CL. Quo igitur id se habet? ATH. Contra se habet penitus nunc, & quando sine anima esse haec putabantur. Quamuis etiam tunc quicumque diligentius alijs illa perscrutabantur, mire veritatem tangebant: quod videlicet nunquam si anima carerent tam exquisita ratione vterentur, mentis expertia, audebant affirmare nonnulli mentem caelestia omnia ornauisse. Sed ydem ipsi nescientes anima naturam antiquiorem esse corporibus, omnia rursus, ut ita dixerim, imò vero seipos euerterunt, cum iuniorem putauerint. Nam & quae ante oculos sunt, haec & in caelo esse crediderunt. Itaque terra, lapidibus, alijsque inanimatis corporibus referta esse caelestia credentes, his causas totius mundi dederunt. His igitur factum est, ut qui haec tractant philosophi, tanquam impij vulgo existimarentur, & à poetis compararentur canibus frustra latrantibus, aliaque in eos plena stultitia dicerentur. Nunc autem, ut diximus, contra omnino se res habet. CL. Quo pacto? ATH. Nunquam mortalis quispiam poterit deum firmiter colere, qui haec duo antea non acceperit. Primum, quod rerum omnium quae generationis participes sunt, antiquissima anima est, atque etiam immortalis: cumque talis sit, omnibus dominatur. Deinde quod sapius diximus, veram esse mentem in astris non ignoraret, & quae antecedit ad haec disciplina ipsum non lateant. Musa etiam his conuenientis non ignarus ad mores componendos legesque seruandas ipsa putatur, possitque earum rerum rationem reddere, quae rationem habent. Qui vero ad virtutes publicas, haec insuper non possederit, is nunquam ferme totius ciuitatis sufficiens princeps erit: sed aliorum minister. Considerandum vero nunc, o Clinia & Megille, utrum praedictis legi-

bus hunc ut apicem custodemque illorum apponere debeamus, ut salutis gratia nocturnus principum caeteris adsit, disciplina, quam praediximus, praeditus. Quid ergo agemus? CLIN. Quid prohibet optime vir, quo minus quam tulumcumque possumus, apponamus? ATHEN. Certè ad id contendere omnes debemus. Ego quidem libenter uobis opitulabor. fortè etiam ob harum rerum peritiam alios quoque multos adiutores inueniam. CLIN. Hac uia, o hospes, maxime proficiscamur, quae deus ipse ducere videtur. Sed modum nunc quo rectè hoc fiat, excogitemus. ATHEN. Lege de istis, o Clinia & Megille, non antè scribi possunt, quam ciuitas uniuersa fuerit exornata. Tunc enim debita cum autoritate constituenta videntur. Sed ea non aliter rectè quam doctrina multa & longo disputationis examine probabuntur. CLIN. Quid hoc iterum sibi vult? ATHEN. Primum igitur caeteris eorum hominum qui aetate, doctrina, moribus, consuetudine, ad custodiam idonei sunt, constituatur. Deinde qua discenda sunt, ea nec inuenire facile, & inuentionis discipulum fieri arduum. Tempora praeterea in quibus percipere oportet singula, frustra scribentur. Nec enim possunt ipsi qui discunt, cognoscere quando quid oportune discatur: antequam in eorum animo rei ipsius scientia sit. Quae igitur in his palam dici non possunt, non rectè tentantur. dici autem non posse inquam, quoniam si dicatur, nihil planius explicent. CLIN. Cum haec ita se habeant hospes, quid nobis agendum censes? ATHEN. Quod, ut prouerbio dicitur, in communio & medio positum est, id nobis, o amici, nunc competit, ac si de uniuersa reipublica periculum subire velimus: faciunda omnia sunt ita, ut ter sex, vel tres talos iaciamus. Equidem periculum id vobiscum subito, dicendo atque exponendo, quae mihi de hac disciplina & educatione quam modo tetigimus, videbuntur: periculum autem paruum non est, nec alijs simile. Quod tibi, o Clinia, cura modo esse iubeo. Tu enim in Magnesiensium urbe, vel illa cui deus ipsum cognominem faciet, summa florebit gloria, si rectè ipsam constitues. Certè nunquam effigies qui posteriorum omnium fortissimus videaris. Si ergo diuinus hic caeteris nobis, o amici constitueretur, huic ciuitas erit tradenda. Neque his reliqui legumlatores tanquam minus sufficientibus aduersabuntur. Profecto quod paulò antè quasi somniantes verbis tetigimus, quando capitis mentisque communionem per imaginem quandam attulimus, id penè vigilantes perficiemus, si nobis hi viri exquisite docti conuenerint, & in arce regionis habitauerint custodes ciuitatis constituti, quales nunquam nos in praeterita vita ad custodiam agendam fuisse cognouimus. MEGIL. Ex omnibus quae diximus, o amice Clinia, patet, aut huiusmodi ciuitatis constitutionem praetermittendam esse, aut hunc hospitem non dimittendum, sed precibus modisque omnibus socium ad disponendam ciuitatem accipiendum. CLIN. Probè loqueris, o Megille. Ego quidem sic prorsus efficiam, sed tu quoque opem feras. MEG. Feram equidem.